

CANTALICIO

SPECTACULA LUCRETIANA (1071 vers)

(Giambattista Valentino)

DIVO ALEXANDRO PONTIFICI MAXIMO

SPECTACULA LUCRETIANA

OPERIS ARGUMENTUM

SL_1 v.1 Horrida Sequanicae gentis modo bella canebam
 2 jamque mihi fuerat carcere missus equus,
 3 scilicet ut Gallus rex maximus omnia regum
 4 vicerit Italici regna decora soli
 5 utque per attonitos populos gentesque paventes
 6 asperso tantum nomine fecit iter,
 7 cum mihi qui vatam pia pectora Delius implet :
 8 "Ista quid hoc frustra tempore scribis ? - ait -
 9 Borgiacos tantum meditatur Roma triumphos
 10 et tu Gallorum scribere bella paras ?
 11 Edita quod dextris Lucretia Borgia fatis
 12 ad thalamos tandem conjugis ire parat,
 13 tanta cave macules tristi nunc gaudia versu
 14 et cave tam faustos commaculare dies
 15 inque tuo numeris melioribus utere plectro :
 16 nil nisi Borgiacum nunc tibi in ore sonet.
 17 Laetitia exsultant simul omnia culmina Romae
 18 cunctaque ludorum munera circus agit
 19 instruit et populus spectacula prisca Quiritum,
 20 laetus et ut felix hic hymenaeus eat.
 21 Haec cane, si sapias : non est ad tristia tempus
 22 et tua Borgiaca pendet ab arce salus ! "
 23 Ergo vale et veniam concedas, Gallia victrix :
 24 ad tua cum tempus gesta revertar erit.

DIVAE LUCRETIAE BORGIAE

SL_2 v.1 Magna dedit Sextus tibi munera, Borgia Diva,
 2 Curia magna dedit Romaque magna dedit.
 3 At si non renuis munuscula parva clientum,
 4 haec quoque sume pia, Borgia Diva, manu :
 5 conterit annorum series quaecumque sub astris
 6 cernimus, ingenii munera certa manent.

AD MUSAM

SL_3 v.1 Dic spectacula, dic, Thalia, ludos,
 2 dic Lucretia Diva quos honores,
 3 dic quos, dic varios vel illa plausus
 4 desertura tulit suos Quirites
 5 et caros modo Martios penates,
 6 ad consortia conjugis vocata,
 7 cui Ferraria delicata servit
 8 et quem pronuba Juno magna fovit,
 9 tanta conjuge quae virum beavit.
 10 Quae cum Romuleam reliquit urbem,
 11 lux de Romulea recessit urbe,
 12 lux omnis veluti recedit orbe,
 13 cum sol Hesperias subivit undas.

ROMANORUM AMOR IN DIVAM LUCRETIAM

SL_4 v.1 Quam dilecta fuit Lucretia Borgia Romae,
 2 quanta fuit pietas et generosus amor,
 3 sciret ut haec aderat tunc quae Ferraria praesens,
 4 omnia monstrarunt templa, theatra, viae :
 5 hinc sua patritii reserarunt pectora cives,
 6 hinc eques, hinc plebes ; hinc puer, inde senex,
 7 quaelibet et totam matrona norusque per urbem
 8 affectus magni signa dedere sui.
 9 Haec ut Alexandro propius spectare liceret,
 10 claudere cui superos et reserare datur,
 11 utque suae Caesar frueretur honore sororis,
 12 Trojanus major quo neque Caesar erat,
 13 ad Vaticani divina palatia montis
 14 constituere suo digna theatra loco.
 15 Hic veterum quicquid jam spectabatur harena
 16 vidimus et quicquid tradere Roma potest ;
 17 sed tamen orchestram qualem nunc vidimus, umquam
 18 tempore non habuit Roma vetusta suo :
 19 namque suis ludis quoties de more sederet,
 20 illa senatores ceperat, ista deos.

DIVAE LUCRETIAE BORGIAE ET ALFONSI ESTENSIS DUCIS FERRARIAE CONIUGIUM

SL_5 v.1 Quam bene sortita est Lucretia Borgia tandem
 2 conjugii taedas condicione pares !
 3 Non bene simplicibus volucrum regina columbis
 4 jungitur aut timidae torva leena ferae.
 5 Quid nam nobiliter produxit Iberia, quid nam
 6 Borgiacis melius Baetica terra tulit ?
 7 Clarius antiquis Estensibus Itala tellus
 8 nil habet aut vera nobilitate prius.
 9 Coniugio tali, generosa Valentia, gaude :
 10 nam tuus Estensi sanguine crescet honos.
 11 Tu quoque Borgiacis, Ferraria, gaude hymenaeis :

12 nam magis hoc fies stemmate mixta potens.
 13 Et jam, Sexte, tibi fas est requiescere, pastor :
 14 cesserunt votis omnibus astra tuis.

AD BORGIACOS NOBILITAS ET ORIGO DOMUS ESTENSIS

SL_6 v.1 Tu qui Borgiaco satu nitescis,
 2 unde Estense genus fluat requiris,
 3 junxit copula quod tibi Thalassi :
 4 hoc est Italiae genus vetustum,
 5 gentis Dardaniae decora proles,
 6 quondam Antenoreae comes cohortis,
 7 quae sedem Patavi locavit urbis,
 8 nomen contrahit oppido sed illo,
 9 quod clari Veneti vocant Ateste
 10 et nos nunc male nominamus Este,
 11 Estensis decor altus unde fluxit.
 12 Cujus moribus et nitore capta
 13 et clara probitate sanctitatis,
 14 hanc Ferraria delicata gentem
 15 ad se pro meritis vocavit ultro
 16 et tantae dominam vocavit urbis :
 17 quae tot saecula lapsa jam, tot annos
 18 tam illic omnia lance rexit aequa,
 19 ut Ferraria noscat atque dicat
 20 Estensis sine principis corona
 21 non se vivere posse vel per horam.
 22 Majores taceo, patres avosque
 23 et claros atavos ducesque magnos,
 24 quorum nomina, gesta, facta, laudes
 25 magnum connumerare pondus esset.
 26 Ad sponsi redeo patrem novelli,
 27 quem natum domus Herculem vocavit,
 28 tanti nominis incitata fama,
 29 saevos Herculis ut ferox labores
 30 omni tempore sustinere posset
 31 et splenderet arte militari.
 32 Quod non augurium fuisse vanum,
 33 gentes Italicae sciunt probantque
 34 et testis Veneti furor senatus,
 35 hujus jam toties repressus arte,
 36 nec non Parthenope sacrique manes
 37 Alfonsi veteris piique regis ;
 38 sed Martis proprias tacebo laudes :
 39 nil hoc sanctius esse veriusque,
 40 nil hoc gratius esse fidiusque
 41 nostro tempore vel potest videri.
 42 Est quam maximus hic quoque architectus,
 43 quod Ferraria tam novata monstrat
 44 et tam conspicuis recincta muris ;
 45 huic par denique nemo comperitur,
 46 quavis vel melius refertus arte.
 47 Cui quondam Helionora regis illa
 48 nupsit filia magna Ferdinandi,
 49 qua non vel Sipylea mater olim,

50 non fecundior illa, quae maritum
 51 Hercei Jovis ante luxit aras :
 52 natorum grege quippe perbeata,
 53 Alfonsum dedit atque Ferdinandum,
 54 Sismundum, Hippolytum atque Cardinalem,
 55 inter qui rutilos micat galeros
 56 quantum Lucifer inter astra fulget.
 57 Quorum maximus et decore primus,
 58 cui Lucretia Borgiana juncta est,
 59 tota quae veluti favente nupsit,
 60 tota sic abiit dolente Roma.
 61 Binas edidit illa sed puellas :
 62 quarum jungitur una Mantuano
 63 Gonsagae domino, nitore tanto
 64 ut non inveniat parem, sed ipsa
 65 ipsam se superat, gravis, modesta,
 66 prudens et facilis, decens, venusta,
 67 illustris, pia, justa, cauta, solers
 68 et cunctis Isabella liberalis ;
 69 magnis altera copulata regnis,
 70 Insubris ducis et benigna conjux,
 71 vero nomine dicta jam Beatrix,
 72 uxor quae poterat virum beare,
 73 ni Lucina manus favens negasset
 74 et stamen nisi Clotho sustulisset.
 75 Estensis brevibus genus vetustum
 76 gentis diximus atque gesta verbis,
 77 at si quid tamen absit ad decorem,
 78 id Lucretia Borgiana portat.

BORGIA NOBILITAS

SL_7 v.1 Non est Borgiacos necesse dicam :
 2 hoc novit genus orbis universus,
 3 norunt Occidui marisque Rubri,
 4 norunt hoc Zephyri Notique gentes,
 5 norunt hoc Boreae gelu nivesque,
 6 norunt Niliaci sciuntque Persae,
 7 norunt hoc Solymi sciuntque reges,
 8 norunt Teutonici feroxque Rhenus,
 9 norunt hoc Rhodani fluenta Galli,
 10 qui, quo lucidior potentiorque
 11 lapsu curreret et niteret amplo,
 12 junxit Borgiacos sibi liquores.
 13 Hos nobis genuit decora sumens
 14 Urbs a magnifico valore nomen,
 15 Urbs Hispanica clara, grata nobis
 16 Urbs et Romuleis amata semper :
 17 haec et magnanimos viros ducesque,
 18 haec et pontifices tulit beatos,
 19 haec et cardineos tulit galeros,
 20 haec Papam tulit et benigna sextum,
 21 unus qui reserat seraque caelum,
 22 quo nec Roma potens potentiozem
 23 nec vidit, fateor, decentiozem

24 nec vidit, fateor, severiorem
 25 nec vidit, fateorque, justiore,
 26 summa qui sedet unus arce Petri
 27 et nutu latus unus omne mundi
 28 vertit, concutit, asserit, coercet,
 29 punit, liberat, allicit fovetque,
 30 leges regibus omnibus retractans,
 31 et jungit sibi pace principatus,
 32 pellens omnia pace bella parta,
 33 et cum pacificis suisque Christis
 34 in Turcas meditatur ire saevos.
 35 Addas Romuleos lares viasque,
 36 addas aedibus additum decorem,
 37 addas et renovata Vaticani
 38 et magno reparata tecta sumptu,
 39 addas Hadrianae superba Molis,
 40 molis moenia quae manu Cyclopum
 41 vel quae Palladis arte structa dicas.
 42 Sunt haec sed monumenta magna Sexti :
 43 quid de Caesare Musa Borgiano
 44 hic nunc quid poterit referre nostra ?
 45 In vasto tenuis carina ponto
 46 longe fluctuat et periclitatur :
 47 major Caesare, major ille, major,
 48 major Scipiadis, Achille major,
 49 Torquatis quoque major ac Metellis,
 50 Marcellis quoque major et Camillis,
 51 Thebanis quoque major et Pelasgis ;
 52 sed nos Caesaris acta Borgiani
 53 jam cantavimus altiore plectro.
 54 Nobis haec eadem tulit propago
 55 praesentem dominum piumque nostrum,
 56 quem nunc maxima Roma Cardinalem
 57 Sexti pontificis colit nepotem,
 58 lumen Borgiacae decusque gentis
 59 et rubri jubar unicum Senatus :
 60 qui cum me duce concupisset artes,
 61 artes Pierias sophosque Phoebi,
 62 id quod non alii decem per annos,
 63 per lunas studio decem peregit,
 64 et jam sedulus ille diligensque,
 65 inter purpureas loquens tiaras,
 66 Marci perspicuas sapit lucernas.
 67 Junctis gentibus his duabus, ergo,
 68 quid nam nobilius decentiusque
 69 et majus valet esse, quid per orbem ?
 70 Semper, Sexte pater, satis sapisti,
 71 me sed iudice nunc magis sapisti !

ADVENTUS FERRARIENSIVM PRO DIVA LUCRETIA

SL_8 v.1 Viderat haud talem quondam Vetulonia pompam,
 2 nil nisi cum plausus Tuscia tota fuit,
 3 nupserat Iasio cum jam Berecyntia mater
 4 Electrae et Corythi magna futura nurus,
 5 qui tunc Italiae latissima regna tenebant,

6 nunc ubi Viterbi moenia clara sedent.
7 Juppiter, ignoscas : tua nec tunc gloria talis,
8 et soror et conjux cum tibi nupsit, erat,
9 cum superum cunctae tibi convenere cohortes
10 et tua complerunt atria mille chori,
11 produxit Romam veniens Ferraria qualem,
12 venit ab Estensi quae duce missa suo,
13 iret ut ad thalamos jam Borgia Diva jugales
14 tectaque magnifici conjugis alta sui.
15 Prima fuit juvenum veniens delecta caterva,
16 non ornata minus quam speciosa manus,
17 principis Estensis quales decet esse ministros,
18 nullius aut quales principis aula videt :
19 lucebant in equis cuncti, velut axe sereno
20 splendida sidereis ignibus astra micant.
21 Pone sequebatur paulo maturior aetas,
22 sed non inferior veste nec ore minor,
23 quos inter rerum norunt qui dicere causas
24 et qui Pieridum castra sequuntur erant,
25 nec non qui caeli motus et sidera tractant
26 et qui a secreti munere nomen habent,
27 maxima virtutum cuncti simulacra ferentes,
28 insita sed virtus pectore major erat.
29 Inde senes ibant, grata gravitate modesti,
30 vultibus insignes et gravitate patres ;
31 haec torquata manus lato fulgebat in auro
32 aureus et cultus omnibus unus erat :
33 quos ego miratus quum contemplerer euntes,
34 visus eram Curios, Roma, videre tuos.
35 Ultimus Hippolytus, sponsi radiantia gestans
36 Tempora, in hoc felix ordine frater erat,
37 Estensisque domus alii duo lumina fratres,
38 filius et quem dat Felsina Bentivoli.
39 Hos circum harmonici mulcebant omnia cantus,
40 qualia Thraicii carmina vatis erant :
41 tympana praetereo, superum quatientia caelum ;
42 innumeras taceo praetereoque tubas.
43 Post ubi Flaminiae ventum est ad limina portae,
44 Borgiaca his junxit se veneranda manus :
45 obvius exierat Caesar nam Borgia, cujus
46 Curia claudebat Romaque tota latus ;
47 ora Jovis qualis junxit sibi thyrsifer Evan,
48 gentibus Eois agmina victor agens,
49 utraque congressus postquam simul agmina junxit,
50 protinus ad summi pergitur ora Patris,
51 qui, quum tot plausus et gaudia tanta videret,
52 deposuit senii pectore quicquid erat ;
53 inde sacri montis celsos subiere penates,
54 osculaque optato sacra dedere pedi
55 et tandem invitis noctis redeuntibus umbris,
56 dispositis jussa est turba manere locis.
57 Hos tibi vir primos tribuit, Lucretia, honores ;
58 hinc tua jam dicam quos tibi Roma dedit.

PEDESTRES CURSUS: CURSUS PUERORUM

SL_9 v.1 Urbe quod a tota Lucretia Borgia amari,
 2 se quoque quod tota nosset ab Urbe coli,
 3 affectus teneris etiam cognovit in annis,
 4 cum pueri cursus exhibuere suos.
 5 Hi quoque namque tibi pedibus contendere jussi,
 6 egerunt partes non male, Sexte, suas :
 7 namque ubi certa tubae senserunt signa sonantis
 8 - oraque spectantium plena favoris erant -
 9 ut Pandioniae caeli per aperta volucres,
 10 sic stadii celeres corripuere vias,
 11 quisque sibi appositae sperantes praemia palmae,
 12 praemia qui obtinuit sed tamen unus erat.
 13 Qui velut ante alios quantum prior ille Molossus
 14 primus et obliquam corripit arte feram,
 15 ante alios tantum dextra prior extitit omnes,
 16 qua metam attingens munera victa tulit.
 17 Non tamen iccirco socii rediere dolentes
 18 ullaque maeroris signa dedere sui,
 19 victorem sed enim socium comitantur ovantes,
 20 "Vivat Alexander Borgia ! " Quisque sonans,
 21 cognorant pueri quoniam quoque, Sexte, dolore
 22 laedere tam faustos non decuisse dies.

CURSUS IUVENUM

SL_10 v.1 Nec non haec eadem validi spectacula cursus
 2 praestitit his ludis laeta iuventa suis,
 3 pro quibus exhibitis victori praemia danda
 4 non olea aut quercus, non oleaster erant,
 5 coccina sed data sunt pretiosaque vellera Serum,
 6 qualia Borgiaci dona decoris erant.
 7 Sexte Pater, multum Romanis, Borgia debes,
 8 hos tibi tot sumptus qui voluere dare ;
 9 non tibi, Sexte, minus Romani, Borgia, debent,
 10 te duce quod sumptus tot potuere dare.

CURSUS SENUM

SL_11 v.1 Vos quoque Borgiacum replestis honore theatrum
 2 pulchraque gessistis ludicra vestra, senes :
 3 nam stata sunt vobis etiam certamina plantae
 4 donaque qui vestrum vinceret ampla seni ;
 5 aequius at fuerat vos decertare sedendo,
 6 quam sic decrepitas exagitare nates.
 7 Ut stetit ad signum pariter cursura senectus,
 8 cepit et, ut mos est, jam sibi quisque locum,
 9 collegere suas pendentes undique bracas,
 10 sordida quas poteras dicere vela magis ;
 11 cumque sonante tuba titubantia crura moverent,
 12 ipsi etiam excusso ventre dedere sonos :
 13 o quales risus, o qualia sibila, quum se

14 provolvunt pingui praecipitantque luto !
 15 Unus erat, prima qui cum cecidisset harena
 16 curvaque caenosa terga teneret humo,
 17 ultimus ut vidit socios hinc inde jacere,
 18 surgit et increpito calce resumit iter
 19 evaditque omnes metaeque ad signa propinquae
 20 pervenit et tremulus praemia victor adit.
 21 Exoritur clamor spectantumque undique plausus
 22 nec modicum risit Sextus ab arce Pater,
 23 ultimus accepit cum praemia, cumque trementes
 24 deformesque luto sic abiere senes ;
 25 se vicisse tamen meruisseque dona putarunt,
 26 quod se, Sexte, sciunt sic placuisse tibi.

CURSUS MERETRICUM

SL_12 v.1 Festa celebrabant veteres solennia Florae,
 2 signa quibus casti nulla pudoris erant :
 3 haec quoque, ludorum si permisisset honestas,
 4 Borgiacis ludis Roma datura fuit,
 5 pro quibus hic cursu certantia scorta pedestri
 6 vidimus et risus non habitura parum.
 7 Prima Labulla locum capit et Laufeia secundum,
 8 hinc Calvina suum, post Catiena suum ;
 9 Naevia quinta suum cepit lupa, Lesbia sextum,
 10 strenua de numero septima Maura fuit.
 11 Inde omnes cum se sublata veste recingunt
 12 et stetit ad signum nuda caterva genu,
 13 saeva per effusa est circi latus omne mephitis
 14 Cossessumque omnem taeter obivit odor,
 15 Tartarei qualis vel faucibus exit Averni,
 16 exhalat qualem vel Vetulonius ager.
 17 Post ubi prostratum corpus movere pedemque,
 18 curriculi in media mox cecidere via ;
 19 Maura sed, ad metas directo tramite currens,
 20 lenonis vicit laeta favore sui.
 21 Scorta per haec nudae veteris spectacula Florae,
 22 si nescis, voluit Roma referre tibi.

CURSUS IUDEORUM

SL_13 v.1 Ut monstrandus amor tibi parte pateret ab omni
 2 et tibi, Sexte Pater, gaudia plena forent,
 3 exhibuit Solymas etiam ad spectacula gentes
 4 et tibi quae poterat nunc dare Roma dedit :
 5 his igitur posuit rapidi quoque proelia cursus
 6 dignaque victoris munera danda pedi.
 7 Conveniunt alacres verpi, recutita juvenus,
 8 improba Christiferae gens inimica Crucis :
 9 Dactylus et Cainus primi, majoribus orti
 10 qui quondam Christo composuere necem ;
 11 hos sequitur Galaphus Baruchusque ex gente creatus
 12 dixerat in Christum quae mala verba prior ;
 13 inde Baruf faedusque Mirach, Senebica propago,

14 in cujus fuerat fel et harundo manu ;
 15 Belzefus et Balafus, nati de semine eorum
 16 qui rapuere sacras sortibus exuvias ;
 17 inde Milach, Barabas, Ripheal, Scariotia proles,
 18 quae jam prodiderat vendideratque Deum ;
 19 compluresque alii, durum crepitantia quorum
 20 effugiunt Musae nomina, plectra, chelys.
 21 Post vero cepere locum signumque morantes
 22 intenti exspectant, diis odiosa cohors ;
 23 quo simul audito, calcem movet ecce profanum
 24 vulgus et extremum signat ab ore locum,
 25 Hebraica inter se Judaeaque verba sonantes,
 26 inter spectantum sibila mixta jocis.
 27 Magna sed humentis cecidit per lubrica circi
 28 et jacuit medio pars revoluta luto ;
 29 altera prosequitur cursum, praeit altera, quorum
 30 primus erat, populi voce juvante, Mylach,
 31 quem pede cum quidam supplantavisset, ephebus
 32 evolat et metas attigit ante Baruf.
 33 Ridet et ingenti quatitur clamore theatrum,
 34 insidias flentis dum videt ora Mylach,
 35 testantis Jonam, Balaam Jonatamque Natanque,
 36 dum repetit pedibus praemia rapta suis :
 37 quod fieri jussit sententia judicis aequi
 38 atque ablata Mylach praemia victor habet.
 39 Mox facie coram Divae duxere choreas,
 40 ducere quas Judae gens recutita solet.
 41 Nunc erat ad Christum, Lucretia, vertere tempus
 42 gentis Judaicae quicquid in Urbe fuit,
 43 forma Meduseum tua cum miranda decorem
 44 vincat et evadat jam tibi quisque lapis.

EQUIRIA

SL_14 v.1 Restituere etiam Megalesia prisca Quirites
 2 circensesque suos et populare sacrum,
 3 at non per septem spatia emisere quadrigas,
 4 nec metas rapidis praeteriere rotis,
 5 sed nunc, Sexte, tibi celebravit Equiria Roma,
 6 qualia sub nostro tempore moris habet :
 7 bubalus immo suum spatiumque cucurrit asellus,
 8 causa voluptatis cursus uterque novae.
 9 Quicquid enim poterat te delectare repertum est
 10 et tamen ardet adhuc Roma placere tibi.

CURSUS EQUORUM BARBARORUM

SL_15 v.1 Dic certamina, Musa, dic equorum,
 2 quos nunc barbaricos vocant caballos :
 3 hi, cum Borgiaci per ampla circi
 4 missi carceribus fuere primi,
 5 tam velociter appulere metis,
 6 quam velociter appulisse dicas.
 7 Non credo Haemonios fuisse tales

8 pernicem Balium levemque Zanthum,
 9 nomen Thessalicae decusque dextrae ;
 10 nec tales etiam fuisse credo,
 11 quos priscis celebrata dives annis
 12 aelis curriculo Jovis probavit.
 13 Quos cum cederet ante Mantuanus,
 14 excusso puero repente solus,
 15 qui tot jam niveus bravia vicit,
 16 currens proxima pone, Borgianus,
 17 addens calcibus et citatus alas,
 18 vinci nescius et peritus arte,
 19 laetus praeteriit tulitque palmam.
 20 Non quod vicerit ille nempe miror :
 21 Caesar Borgia, erat tuus caballus !

CURSUS EQUARUM

SL_16 v.1 Maeonidae qualis fuerat celebrata Podarge
 2 aut, Epirotae, quas genuistis, equae,
 3 aut quae conceptus ventorum flatibus implent,
 4 Romulidae, tales exhibuistis equas.
 5 Hae quoque Borgiacis ludis novere placere
 6 atque ultra vires agglomerare pedes :
 7 cuncta elementa tibi studeant cum, Sexte, placere,
 8 id quoque non mirum est, si studet omne pecus.

CURSUS EQUORUM VEREDORUM

SL_17 v.1 Vidimus exhibuit simul et quos Roma veredos
 2 hique voluptates contribuere suas :
 3 namque globum circum de se fecere per omnem,
 4 quisque ubi currendo creditur esse prior.
 5 De grege sed subito poterat qui vincere solus,
 6 posse suum Dazus dissimulavit equus :
 7 ultima qui cum jam spatii metamque tenerent,
 8 emicat et primus protinus ante volat.
 9 Errat Borgiacis ludis ratione carere
 10 et mentis quisquam munere credit equos !

CURSUS ASINORUM

SL_18 v.1 Quales Parrhasiis feruntur arvis
 2 vel quales vetus educat Reate,
 3 tales Roma dedit benigna asellos
 4 in spectacula tam probata circi
 5 et certamina pulchra Borgiani.
 6 Hos cum carceribus suis locarent,
 7 partim femineos maresque partim,
 8 ruditus petulans repente montis
 9 implevit pecus alta Vaticani ;
 10 mox e carceribus caterva laxis,
 11 non desiderio coacta palmae,

12 sed desiderio coacta asellae,
 13 hac illac ruit omne per theatrum,
 14 rudens, immemor et proterva cursus,
 15 jam sessoribus absque tota currens,
 16 quos excusserat antequam subiret
 17 in circi medias petulca partes :
 18 horum pars rediere magna retro,
 19 pars portas petiere consuetas.
 20 Unus de numero magis peritus,
 21 cui vates Asinariam studenti
 22 Plautus legerat atque ruminarat,
 23 jam cum saepius ad fores palati,
 24 ad quas praemia meta sustinebat,
 25 multum furfuris ante devorasset,
 26 illuc cum modo sarcinas ferebat,
 27 et ventris studiosus et recordans,
 28 recto tramite mox viam resumens,
 29 circi quod reliquum fuit peregit
 30 et, dum se solitos referre credit
 31 pastus furfureos, tulit bravium.
 32 Hoc quid, dicite, quid putatis esse ?
 33 Succedunt bene cuncta Borgianis !

CURSUS BUBALORUM

SL_19 v.1 Ultima bubalici steterant spectacula cursus :
 2 haec etiam genii non habuere parum.
 3 Postquam informe pecus ferratis naribus amplis
 4 adfuit et calces constituere pares,
 5 terga, dato signo, stimulis agitator acutis
 6 confodit et feriunt spicula longa cutem :
 7 juncta catervatim currunt informia bruta
 8 nec circi rectas praeteriere vias.
 9 Jamque propinquabant palmae totumque theatrum
 10 insonat et circi plausibus omne latus ;
 11 terga ferit constans laxis agitator habenis
 12 et pecus insana voce fatigat iners ;
 13 grex tamen ignavus vidit cum praemia palmae,
 14 constitit atque pedem fixit inepta cohors :
 15 non stimuli aut voces, non aspera verbera prosunt,
 16 plurima nec forti quassa flagella manu,
 17 torta sed obversis vertunt vestigia caudis.
 18 Pars capiunt urbis moenia versus iter,
 19 pars medii in partes sese effudere theatri,
 20 pars, ubi constiterant, non abiere loco.
 21 Carceris hinc igitur rursus statione locantur,
 22 unde iterum cursus proripuerunt suos ;
 23 cum tamen amissae reditum est ad praemia palmae,
 24 constitit ad solitum bubala inepta locum,
 25 tamquam non liceat, tamquam sit turpe nefasque
 26 vincere et ulterius inde movere pedem.
 27 Fervidus exercet costas agitator et armos :
 28 nil tamen irata proficit ille manu,
 29 obvertunt quoniam segnes ad praemia rursus
 30 retrogradas clunes retrogredosque gradus.

31 Cerneret ire suos cum per contraria cursus,
 32 de numero secum sic Vetulinus ait :
 33 "Non licet hanc hodie, nisi per contraria, palmam
 34 vincere : curramus nosque per antiphrasim ! "
 35 Dixit et ad caudam sese convertit et instat
 36 bubalicum stimulis exagitare latus :
 37 atque ita victor erat bruto gradiente retrorsum
 38 quodque caput vetuit vincere, cauda dedit.
 39 Mystica Borgiacis fuit haec victoria ludis
 40 et vis retrogredi sideris ista fuit :
 41 quid pia Borgiacis dare gentibus astra putandum est,
 42 has si retrogredi sideris aura fovet ?

PALESTRA

SL_20 v.1 Cursibus exactis, restabat nuda palestra :
 2 hanc quoque vidisti, Caesar, in Urbe tua
 3 dasque palestritam, qualem vel Sparta solebat
 4 aut dare gymnasiis Attica terra suis,
 5 aut qualem fingunt Tellure fuisse creatum,
 6 cui matris vires non valuere suae,
 7 aut qualis Samius fuerat jam mutus athleta,
 8 cui merces vocem fraude negata dedit,
 9 Entelli quondam fuerant vel qualia terga,
 10 qualia vel fortis terga Daretis erant.
 11 Intrepide stabat media taciturnus harena,
 12 hunc veluti nullum vincere posse putes ;
 13 se tamen audebat pugnae committere nemo,
 14 talia dum cernunt pectora, colla, manus.
 15 Jamque erat exspectans sibi poscere dona paratus,
 16 in medium cum bis prosiliere duo,
 17 vixdum qui implicitis subito cecidere lacertis,
 18 unde stetit pugilum caetera turba procul.
 19 Ille sed immenso donatus munere plausu,
 20 "Borgia ! " clamando "Borgia ! " victor abit.
 21 Haec invicta tibi, Caesar, tua castra notavit
 22 atque animosa tuae gesta palestra manus.

CASTELLI GLADIATURA

SL_21 v.1 Inde datura fuit veteris quoque Roma lanistae
 2 munera et accinctus jam gladiator erat ;
 3 pugna sed ut multo Martis speciosior esset,
 4 stringeret et gladios nobiliore manu,
 5 Borgia constituit ferri certamina Caesar,
 6 mulcerent animos quae novitate magis.
 7 Non mirmillonis stupuit spectator in armis,
 8 nulla fuit triplici fuscina dente minax,
 9 arce sed exstructa castelli in parte theatri,
 10 vidimus hic Martis proelia magna novi
 11 postaque victori sunt pro mercede ducenta,
 12 munera victoris digna labore sui.
 13 Lex fuit, ut positam pars altera sumeret arcem
 14 et caperet clausi saepta tuenda loci ;

15 altera, si posset molem expugnare duello,
 16 quae stabant palmae praemia ferret ovans.
 17 Delecti juvenes ex Caesaris agmine, qui sic
 18 conseruere manus, bis duo bisque decem :
 19 octo tuebantur, pugnans sed cetera contra
 20 ter fuit indomito Marte repulsa manus ;
 21 et, ne forte putes pugnae simulacra fuisse,
 22 saepius illata sub nece vita fuit.
 23 Non haec, crede mihi, sunt aedita proelia frustra :
 24 securas arces Caesaris ista notant.

VENATIO TAURORUM

SL_22 v.1 Jam licet ut sileat venatio prisca ferarum
 2 fortis et antiqui dextera Carpofoi,
 3 Martia cum stratos spectavit harena leones
 4 et petulans Tuscum Naevia fixit aprum,
 5 cum pardi cecidere leves turpesque bisontes
 6 praestitit atque ferox proelia rhinoceros :
 7 nam tua, Sexte, tuas peragens Hispania partes
 8 culta per attritas noluit ire vias,
 9 sed, quod nulla umquam priscorum prodidit aetas,
 10 inclyta de tauris munus equestre dedit,
 11 quos excelsa suis ludis de more quotannis
 12 exhibet et torvo de grege Roma legit.
 13 Hi non consueta ceciderunt morte feroces,
 14 sed periire necis nobiliore modo :
 15 nam, postquam emissi fusique fuere vicissim
 16 et concessa feris mors mala bobus erat,
 17 prodiit in medium depugnatura theatrum
 18 et telis et equis splendida Ibera cohors,
 19 undique tota micans ardenti murice et auro,
 20 gemmatis victis et redimita caput,
 21 strenua gestantes patrio venabula ritu
 22 cominus exhibitos apta ferire boves.
 23 Sic igitur missos ineunt agitare juvencos
 24 bubulaque assidua terga cavare manu ;
 25 ardua qui primus ruit in certamina taurus
 26 excussit circi cornibus omne latus :
 27 quem dum nobilitas insectaretur Ibera
 28 saeviretque ferox taurus in omne caput
 29 spargeret et passim pedibus furibundus harenam
 30 innueretque sua fronte minante necem,
 31 talia non potuit spectando Borgia Caesar
 32 virtutes animi dissimulare sui ;
 33 fervidus orchestra sed enim descendit ab alta,
 34 spectabat ludos maximus unde chorus,
 35 et celer ingressus, faciem velatus, harenam
 36 trajecit tauri protinus omne latus
 37 sternitur atque uno tantum porrectus ab ictu
 38 qui timor ex omni parte juvenco erat ;
 39 inde abit, id facinus toto plaudente theatro,
 40 magnanimo insignis conspiciendus equo.
 41 Prosequitur caedes taurorum Hispana caterva
 42 et patria sternit cuspide forte pecus ;

43 jamque boum ferro restabat portio parva,
 44 destitit a pugna cum calefactus eques :
 45 nam pedibus pariter subit altera turba theatrum,
 46 in tauros laudis non habitura minus.
 47 Haec quoque culta fuit praecinctaque vestibus iisdem,
 48 idem animus cunctis et generosa manus :
 49 expandit quales volucris Junonia pennas,
 50 talis erat juvenum vestibus ille decor ;
 51 idem erat et gladius nec non venabula et artes
 52 dexteraque Hispanis docta ferire modis.
 53 Quos inter rursus prodivit Borgia Caesar,
 54 velatus faciem, cognitus ille tamen :
 55 nam male Thessaliae sicut se abscondit Olympus,
 56 sic male Borgiaci Caesaris arma latent.
 57 Namque catervatim junctis mucronibus hastae,
 58 dum ruit in tauros sic animosa cohors,
 59 dumque boves missi juvenum per aperta theatri
 60 non exspectato terga dedere globo,
 61 ingruit ex illis contra furibundior unus
 62 aggrediturque omnes, dissipat, urget, adit,
 63 gestit et obstantem jactare sub astra catervam ;
 64 sed tandem fallax impetus ille fuit :
 65 namque sua Caesar districta prosilit harpe
 66 invaditque suo Marte juvante ferum
 67 succisaque trucem stravit cervice juvenum ;
 68 inde pedestre ferox cum grege victor abit.
 69 Cetera taurorum pars nobilitate perempta est,
 70 nec male Borgiaci deperiere boves.
 71 Quis non taurorum pugnas intelligat istas ?
 72 Hoc pro te factum, Borgia Caesar, erat :
 73 quicquid Amyclaei fuerant ad proelia fratres
 74 jam duo, tu solus, Borgia Caesar, agis.

POPULI ROMANI RECENSUS

SL_23 v.1 Ut quondam ultimus ille rex bonorum
 2 regum, Servius ille liberalis,
 3 cenum constituens in Urbe primus,
 4 Urbem constituit videre totam
 5 et cognoscere providus Quirites,
 6 tunc cum classibus alma Roma quinque est
 7 et tot centuriis resecta felix,
 8 totam tu quoque, Sexte, sic recenses,
 9 quo posses populum videre, Romam,
 10 ut Ferraria sciret ac referret,
 11 quam te Trojugenae colant Quirites.
 12 Ergo Borgiacis novisque ludis
 13 laetae conveniunt tibi cohortes,
 14 classes, centuriae, tribus, manipuli
 15 et coetus legionis atque turmae,
 16 telorum genus omne congerentes
 17 et corpus quibus arma contuentur :
 18 thoracas, ocreas, spathas, cateias,
 19 loricas, clypeos brevesque peltas,
 20 rompneas, galeas levesque fundas,

21 arcus, fortia scuta, pila, sicas,
 22 nec non spicula saeva scorpionis.
 23 O qua laetitia tibi micantes
 24 cordis tunc saliere, Sexte, fibrae,
 25 cum per Borgiacum suis theatrum
 26 spectas ordinibus tuos Quirites,
 27 quales in duplices iere Poenos,
 28 quales in Syrias iere gentes,
 29 quales in Senones trucesque Cimbros,
 30 quales in Pharios iere reges,
 31 quales in rigidos iere Veios
 32 et quotquot voluere jam subactos,
 33 ut scires bene, Sexte, quot teneres
 34 gentis milia Maximus togatae
 35 et quam sint bene, Sexte, praeparata
 36 te cum Cardineis tuis tueri !
 37 Cum sic in faciem suosque vultus
 38 per te jam fuerit reversa Roma,
 39 ludos rettulit illa si priores,
 40 si longe meliora multa fecit,
 41 non mirum, tibi, Sexte, quod secunda est.

PEGMATA SIVE CURRUS PRODUCTI AD MUSAM

SL_24 v.1 Dic jam pegmata, Musa, dic triumphos,
 2 quos his rettulit alma Roma ludis,
 3 ut se quae fuit esse nunc notaret
 4 tanto sub duce perbeata tauro,
 5 nec non egregios habere vates
 6 nunc in gymnasiis suis doceret,
 7 aetas jam coluit vetusta quales,
 8 haec qui pegmata tanta cogitarunt,
 9 majorum quibus acta sub figura
 10 virtutes docuere Borgianas.

LAUS POETAE PEGMATUM

SL_25 v.1 Quicumque ille fuit, struxit qui pegmata, vates,
 2 vidimus in ludis quae modo Borgiacis,
 3 numine Deliaco gestat praecordia plena
 4 Delphiticoque lyram temperat in tripode ;
 5 non fuit hic Geticus, fuit hic nec pectore bardus,
 6 divini sed habet pectoris ingenium :
 7 seu sit Romanus, seu sit Romanus alumnus,
 8 huic bene tam merito dii faciant superi,
 9 qui voluit ficta veteri sub imagine laudes
 10 temporis antiqui dicere Borgiacas.
 11 Nescio qui fuerit : tot sunt tibi, Roma, poetae,
 12 qui pelago velis lintea dant paribus.
 13 Quisquis es, ipse tuis meritis pro talibus opto
 14 fata tibi regis tempora dent Pylis !

HERCULIS IMAGO CUM HYDRA

SL_26 v.1 Tot tibi, Borgiacum, produxit Roma, theatrum,
 2 pegmata, quot partes computat illa sui.
 3 Herculis invicti sub imagine vidimus acta,
 4 nec secus ac si tunc res ageretur erat,
 5 strenuus ut Lernaec fecundam sustulit Hydram,
 6 aut ut Aventinae vicerit arma ferae
 7 purgavitque omnem regionem providus heros,
 8 hic ubi tuta dehinc condita Roma fuit.
 9 Verum aliud tali voluit sub imagine vates
 10 veraque per fictas significare notas :
 11 namque per Alciden datus est tibi Borgia Caesar,
 12 invictum cuius circuit Hydra caput,
 13 qui, velut Alcides diram superaverat illam
 14 monstraque, terribiles multiplicesque feras,
 15 expulit Italico saevos ex orbe tyrannos,
 16 qui passim Hydraei verticis instar erant.
 17 Adde quod ista tibi magnae simulacra figurae
 18 Estensem possunt significare ducem,
 19 Borgia cui fausta cessit Lucretia sorte,
 20 quam mundus voluit totus habere suam,
 21 sicut et Alcidae quondam pro conjuge cessit
 22 devictisque aliis Deianira procis.
 23 Multum Romani debent et Sextus et omnes
 24 Borgiaci inventis, clare poeta, tuis !

REX CUM DUOBUS ARATORIBUS ET VULTURIBUS

SL_27 v.1 Vertere mox regem pendenti vulture aratrum
 2 vidimus et geminos sollicitare boves :
 3 Hunc per quem voluit tibi significare poeta ?
 4 Si nescis, Urbis conditor ille fuit
 5 belliger, incurvo quam designavit aratro
 6 addidit et nomen vulturis augurio.
 7 Non temere hoc factum fuit, haec non actio vana ;
 8 maxima sunt quae te rustica signa docent :
 9 Roma per hos veluti fuit aedificata juvencos,
 10 sic per Borgiacos est renovata boves.

EFFIGIES DUORUM EQUORUM CUM TOTIDEM RECTORIBUS

SL_28 v.1 Hic etiam geminos licuit spectare feroces,
 2 docta quibus frenum laeva tenebat equos.
 3 Non minus haec vatis fuit ingeniosa figura,
 4 altius haec animo si bene cuncta notes :
 5 haec bellum pacemque docent, quae Borgia Caesar
 6 et dare Romanis et prohibere potest.

TRIUM ROMANORUM IMPERATORUM TRIUMPHALIUM INSIGNIA

SL_29 v.1 Inde triumphalem quem spectavistis equestrem,
 2 hic jam cui pugnax Africa cessit erat ;
 3 quaeque sequebatur currum Carthago notata est,
 4 evertit cujus funditus ille solum.
 5 Post Asiae domitor magna gravitate subibat :
 6 si non sum falsus, ille Lucullus erat,
 7 pone sequebatur spoliis quem currus opimis,
 8 ex Asia ad patrios quae tulit ille deos.
 9 Tertius insedit nivei qui terga caballi,
 10 ille Tridentiferi quem prope currus erat,
 11 Julius hac fuerat monstratus imagine Caesar,
 12 noscimus Europae quem posuisse jugum
 13 Romuleumque ausum Martem committere Ponto
 14 frenaque non notis gentibus ante dare.
 15 Ista tribus Romam dominatam partibus orbis
 16 armaque Romulidum quanta fuere notant ;
 17 verum aliud voluit docti sibi fictio vatis :
 18 Borgiaci sunt haec nam nova gesta ducis,
 19 subdidit Italiae sibi qui tria regna subactae
 20 inque triumphali vertice signa tenet.
 21 Nulla figura nitet magnae sub imagine formae
 22 nullaque pictura facta novata vides
 23 in quibus haud possis jam te cognoscere, Caesar,
 24 atque aliis quanto, Borgia, major eas.

SIMULACRUM IOVIS ET IUNONIS

SL_30 v.1 Insuper e curru spectavimus ora Tonantis,
 2 cum quo vecta fuit pronuba magna soror :
 3 quod notat exactis tandem quod Roma triumphis
 4 hostibus et victis relligiosa fuit.
 5 Ast ego, quod fas est, alia ratione putarim
 6 altius has vatem composuisse rotas :
 7 scilicet hoc celebri quae gesta fuere theatro
 8 cum Junone sua cuncta probasse Jovem
 9 et quod concordi Lucretia Borgia caelo
 10 nupsit et unanimi non sine voce deum.

TRES DEAE NUDAE

SL_31 v.1 Tres quoque vidisti sine vestibus ire puellas :
 2 dic, rogo, quid nudae tres voluere deae ?
 3 Numquid ad arbitrium quae convenere fuerunt
 4 pastoris quondam : Juno, Minerva, Venus ?
 5 An quae Trinacrios mergebant carmine nautas ?
 6 An fuit hoc aliquod relligionis opus ?
 7 Crediderim tamen ipse magis, nisi fallit Apollo,
 8 autorem Charites significasse deas,
 9 Nympharum comites Venerisque decentis amicas,
 10 perpetuo nexus quas pia zona tenet,
 11 quam sibi non aliter junxit Lucretia Romam,

12 donec Borgiaci nominis aura sonet :
 13 nam te, Roma, dolens quamvis Lucretia linguat,
 14 non sine te poterit vivere alumna tamen !

EQUESTRE SIMULACRUM CUM PUERO ET PUELLA ANTE CURRUM CAPTIVIS

SL_32 v.1 Compositum mira spectavimus arte caballum,
 2 magnanimus cujus terga premebat eques ;
 3 ante ferebatur currum captiva puella
 4 et puer astrictus vincula sorte pari :
 5 hanc certe effigiem nemo est qui nesciat altam,
 6 Borgia Dux in qua significanter erat.
 7 Sumite ab his cuncti populis documenta duobus :
 8 non est Caesareis viribus esse parem.

PUELLA A TAURO VECTA

SL_33 v.1 Dicite, spectantes : quae nam fuit illa puella,
 2 insedit tergo quae simulata Jovis ?
 3 Nempe nec Oceano fuerat nec Agenore nata,
 4 diva sed haud dubie Borgias illa fuit,
 5 quae per Borgiacum meruit faustissima taurum
 6 fortis ad imperii culmina celsa vehi :
 7 hoc voluit rerum tibi demonstrare peritus
 8 ingenii vates nobilitate sui.

DE TAURO FUGIENTE DRACONEM

SL_34 v.1 Ignivomi taurus quod fugerit ora draconis,
 2 desine mirari : non pavor ille fuit.
 3 Inter pascatur cum prata virentia flammis,
 4 par fuit hunc flammis non nocuisse suis.

NOVAE COMEDIAE POETARUM ROMANORUM

SL_35 v.1 Hunc celebrant etiam vates hymenaea Latini
 2 inventisque novis contribuere vices ;
 3 quorum ut tu melius spectare poemata posses,
 4 ante tuos gesta est res bene, Sexte, pedes
 5 et, quia contrita est ludis lux quaeque diurnis,
 6 prodita nocturno lumine scaena fuit.

COMOEDIA BAPTISTAE CASALIS

SL_36 v.1 Lusit comica quae meus Casalis
 2 haec sunt, nec veterum minora soccis :
 3 induxit Venerem poeta divam
 4 caeco de puero suo querentem,
 5 quod Lucretia Diva Borgiana
 6 caelebs per virides sederet annos,

7 omnes cum superaret ore Nymphas
 8 Graias, Italides, deas marinas :
 9 cur nam qui genus ales omne vincit,
 10 invictam sinat hanc manere solam ?
 11 Respondebat item suae parenti
 12 qui cunctos domat et Cupido vincit :
 13 "Quid, mater Cytherea, me lacesis ?
 14 Dignum Borgiaca nec invenimus,
 15 dignum quaerimus attamen maritum :
 16 frustra non soleo meam pharetram
 17 exercere meos leves nec arcus ! "
 18 Non contenta Venus vocabat illum
 19 quocum tardipedis vices ministrat
 20 et quondam jacuit revincta ferro :
 21 qui cum cerneret utriusque causam,
 22 votis praebuit utriusque pacem
 23 et Ferraria cui decora paret
 24 Divam sanxerat esse copulandam.
 25 Lusit comica quae meus Casalis
 26 haec sunt, nec veterum minora soccis.

COMEDIA CAMILLI PORTII

SL_37 v.1 Hinc et Portia quem domus creavit
 2 majores referens suos Camillus
 3 intactum juvenis poema fecit,
 4 cui Sextus tribuit libenter aures
 5 reclusitque Pater benignus aulas :
 6 nam comoedia grata continebat
 7 et quae Borgiacis meis placebant.
 8 Hinc Ferraria et hinc beata Roma
 9 inter se varias simul movebant
 10 lites, sed placidis tamen querelis :
 11 Divam perdere Roma perdolebat
 12 quod Ferraria Borgiam trahebat,
 13 quam tot dulcibus educasset annis
 14 intra moenia parvulam Quirini ;
 15 sed Ferraria delicata, partes
 16 argumenta parans suas tuendo,
 17 illam jure suo loquens petebat.
 18 Tunc Cyllenius, arce missus alta,
 19 lites e medio deus diremit.
 20 Hos comoedia continebat actus,
 21 sed plures brevitae conticesco :
 22 haec dat Portia quem domus creavit
 23 non dispar proavis suis Camillus.

COMEDIA MAGDALENI

SL_38 v.1 Phoebi numine floridus poeta
 2 condit carmina plena Magdalenus :
 3 quod comoedia dulcis indicavit
 4 nunc in Borgiacis peracta ludis,
 5 in qua conqueritur proterva Juno

6 quod Fortuna suas per omne tempus
 7 Alcidae meritis ministret auras.
 8 Quo scripto prius atque nominato
 9 Estensem puto principem notavit,
 10 quem Fortuna potens favore pleno
 11 juvit cominus et benigna fovit,
 12 quod Lucretia Diva Borgiana
 13 Estensis ducis est decora consors.
 14 Gaude, Martia Roma, docta, gaude,
 15 hoc quae tempore tot vides Cratinos.

COMOEDIA GALLI

SL_39 v.1 Et tu, Galle, tuas, amice, partes
 2 egisti bene comicos per actus,
 3 qui per Caesaris arma Borgiani
 4 sentis Parthenopen fuisse captam
 5 tunc, cum Gallia ficta magna mater
 6 misit per furiosa bella natum
 7 ad sponsam thalami sui rebellem,
 8 quam per Parthenopen bonus notasti.
 9 Alter quam dare cum procus negaret,
 10 Romanae decus urbis invocavit
 11 sponsus, qua duce victor est potitus,
 12 rivali procul et repente pulso.
 13 Haec comoedia, Galle, tota quadrat :
 14 nam tu cum patre forte Gallus exstes,
 15 Gallos conveniebat ut referres,
 16 me etsi duce magis es Latinus.

PLAUTI MENECHMI

SL_40 v.1 Plautinos etiam juvenes egere Menaechmos,
 2 aetate ac forma, gestibus, arte pares ;
 3 quaelibet implevit numeros persona decentes :
 4 viderat haud similes scaena vetusta sales.
 5 Gesserunt gemini mire sua munera fratres
 6 Messenioque vices Peniculusque suas ;
 7 sed me nulla rei tenet admiratio tantae
 8 ingentique istas non ego miror opes,
 9 hi quod ab eximii veniunt incude magistri
 10 et rari exempli vatis ab arte fabri.
 11 Roma, magis facta es sic ingeniosa poetis,
 12 ut magis es Sexto facta sedente potens.

DIVAE LUCRETIAE BORGIAE DISCESSUS AB URBE ET COMITATUS

SL_41 v.1 Ergo perfectis abitura ludis
 2 hinc ad Estensis thalamos mariti
 3 fortis et clari ducis apparatus
 4 Borgia virgo.
 5 Unde per totam properatur Urbem :

6 hic equos, auro parat ille vestes,
7 ille pincernas struit, hic ministros,
8 ille sodales ;
9 hinc suam Sextus comitum cohortem,
10 hinc suam Divae populus Quirini,
11 hinc suam struxit comitum catervam
12 Borgia Caesar.
13 Sarcinas Divae numerare quisnam
14 possit ? Aut quisnam numerare gemmas ?
15 Quis vel argenti modios vel auri
16 dona referre ?
17 Quis vel immensam valeat canendo
18 tot talentorum numerare dotem,
19 quam nec uxores habuere regis
20 hactenus ullae ?
21 Jam dies felix aderat recessus,
22 qua sed effecta est tenebrosa Roma
23 mox et a nobis abiire clari
24 lumina solis,
25 cum statim Divae comitatus omnis
26 affuit tota numerosus Urbe,
27 usque ad extremos etiam paratus
28 ire Britannos.
29 Quin et Estensis comitatus exit
30 ordine instructus, facie decorus ;
31 seque post ambo speciosa jungunt
32 agmina utrimque.
33 "Ite felices, juvenes senesque ! ",
34 dixerant cuncti pueri et puellae
35 ac recessuris benedixit alta
36 Sextus ab arce.
37 Qualis ad matrem solet ire Phoebe,
38 septa millenis veneranda Nymphis,
39 vel salutatum solet ire celso
40 vertice fratrem,
41 talis ad clari thalamos mariti
42 ibat insignis, comitante longo
43 Virginum coetu, memoranda semper
44 Borgia Diva.
45 Ad latus cujus soror illa nostri
46 ibat et vere pia Cardinalis,
47 cui sacrum sanctae tribuere sacra
48 nomina nomen :
49 illius mores vereor pudicos
50 dicere et vitam penitus pavesco,
51 ne velut nomen tribuam marinis
52 Icarus undis.
53 Quumque iter coeptum peragunt per urbes,
54 obvios cunctos populos videres,
55 explicat qua se per amoena laetas
56 Umbria valles,
57 dona certatim pariter ferentes,
58 quanta vel plusquam dederat facultas,
59 et coronatis reserant ovantes
60 limina portis.
61 Inde cedentes medios per Umbros,

62 regna cum primum tetigere euntes,
 63 Marte quae magnus sibi comparavit
 64 Borgia Caesar ;
 65 qualibet passim regione tales
 66 singulae ubertim tribuere gentes,
 67 accipit quales Paphias per urbes
 68 Cypris honores :
 69 his ad Estenses populis relictis,
 70 qui perinsignes dederant honores,
 71 applicant sese generosa tandem
 72 agmina portis.
 73 Qualis intrantum fuit et beatae
 74 lucis illius celebrata pompa,
 75 Diva qua limen tetigit mariti,
 76 dicat Apollo,
 77 hanc vel Estenses referant poetae,
 78 Herculis qui per resonant penates
 79 hauriunt et qui melioris undae
 80 fonte liquores.
 81 Sit satis nobis leviore magnam
 82 Borgiam Divam cecinisse plectro,
 83 quae tibi affectus monumenta nostri,
 84 Sexte, dicamus.

PETITIO DISCESSUS ROMANORUM COMITUM A DIVA LUCRETIA

SL_42 v.1 Omnia compleerat postquam sua vota Thalassus
 2 et bene transactus sic hymenaeus erat,
 3 Romani comites, proles generosa Quiritum,
 4 in patriam cuperent cum repedare suam,
 5 implerunt Divae placidas his vocibus aures,
 6 pro quibus haec unus verba loquutus ait :
 7 "Auspiciibus Superis tandem et Junone favente
 8 conjugii socium, Borgia Diva, vides
 9 nec minus experta es, quantum ostentare licebat,
 10 Roma tuas laudes quam vehementer amet ;
 11 nos quoque, qui comites fuimus te, Diva, sequuti,
 12 egimus officium, quod comitantis erat.
 13 Te per barbaricas comites sequeremur et undas
 14 et freta Scyllaei per furibunda maris
 15 atque per ardentem terras domibusque negatas
 16 nec non et Scythiae frigora, si sit opus ;
 17 sed quia fata tibi sedes tribuere quietas
 18 regnaque pro meritis, Borgia Diva, tuis,
 19 ibimus ad patrios, te concedente, penates
 20 nec minus et Romae moenia cara tuae,
 21 nulla ubi te nostris animis obliviam tollent,
 22 fixa sed in nostro pectore semper eris.
 23 Forsitan et siquid rerum peccavimus in te,
 24 aut in honore tuo frigida cura fuit,
 25 peccati veniam petimus veniamque recessus,
 26 accincti cunctis rebus adesse tuis.
 27 Tuque Sibyllinos cum conjuge vive per annos
 28 proleque Borgiacum multiplicare genus ! ".

DIVAE LUCRETIAE RESPONSUM

SL_43 v.1 Reddidit his dictis Lucretia Borgia voces,
 2 sed non femineo voces de pectore quales,
 3 sed prodire solent quales de corde virorum,
 4 hauserunt dulces vel qui Demosthenis amnes,
 5 lactea vel magni Ciceronis flumina potant,
 6 eructant sacri vel qui monumenta Maronis :
 7 "Haud novus est in me vester, Romana juvenus,
 8 tantus amor, Romae fuerim cum dulcis alumna
 9 et mihi natales dederint cum tecta Quirini.
 10 Vidimus ingentes plausus, spectacula, ludos
 11 atque triumphales mihi quos tribuistis honores ;
 12 vidimus et septem mihi qualia gaudia colles
 13 exhibuere suae, nec non renovata vetusto
 14 munera quae quondam fuerant celebrata theatro ;
 15 vidimus et juvenum solemnia magna senumque
 16 laetitiaeque hominum mihi quas genus omne figuras
 17 contulit et quicquid tribuit matrona nurusque,
 18 quod nacta est talem Lucretia Borgia sortem
 19 hic, ubi speratur taedas habitura quietas.
 20 Non mea Roma igitur quantum ostentare licebat,
 21 verum ultra vires non me decorare pepercit,
 22 utque magis digno nos exaugeret honore,
 23 dat mihi vos comites, de nobilitate supremos
 24 Romulea, cujus sum non ignara tributi :
 25 ire per infidi licet et discrimina ponti
 26 cogerer et terrae vel per deserta relictæ,
 27 tuta mihi vobis comitantibus ire viderer !
 28 Parcite commissae veniam me poscere culpae :
 29 nil mihi peccastis, nisi quod peccastis amando
 30 quodque meos nimium nimiumque auxistis honores.
 31 Nec vobis patriae reditum male grata negabo :
 32 ite, licet, juvenes juvenum clarissima pubes,
 33 ite, sed et nostri memores. Si maxima Roma
 34 scire volet quid agit Lucretia Borgia rerum,
 35 dicite : "Magnanimo cum conjuge laeta triumphat,
 36 sed tamen ardenti suspirat pectore Romam".



On pense généralement que cette Sainte Catherine d'Alexandrie, peinte en 1494 par Pinturricchio dans la 'Sala dei Santi' du Vatican, est un portrait de Lucrece Borgia.